


CONSILIIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

*2. Quoad alia Sacraenta.*

Unicuique Commissioni liturgicae dioecesanae tribuitur cura ap-  
tandi ingenio africano Sacramentalium ritus.

Eorum indagationes a Commissione liturgica nationali examina-  
buntur et conclusiones ad ratificationem Conferentiae Episcopalis defe-  
rantur.

⊕ PAULUS Card. ZOUNGRANA  
Archiepiscopus Uagaduguensis

ZAMBIA

*I. EXITUS INSTAURATIONIS*

Relatio haec est brevissima et ad partem septentrionalem nationis Zambiensis tantum se referens. In hac dioecesi Kasamaensi, omnibus informationibus directe a « Consilio » receptis, omnes mutationes tem-  
pore debito adhiberi potuerunt. Ordinarii vero in vicinis dioecesibus eisdem orbat, eas introducere non poterant hoc anno. Respublica Zambia enim valde ab Urbe distat, sed individuas paroecias attingere dif-  
ficilius est.

In nostra parte mutationes, exceptis mutationibus in Novo Ordine Missae expositis, non erant magni momenti, cum ex Indultis, pro non-  
nullis annis, lingua vernacula in Proprio et in Communi Missae in usu  
erat una cum lingua latina. Omnibus duplicationibus nunc suppressis,  
celebratio Missae facilior ac minus onerosa evadit. De cetero, cum  
cantus in lingua vernacula nondum approbati sint a Coetu Ordinariorum,  
preces quaedam ut collecta, *Pater noster* etc. etiam nunc in lingua latina  
proferuntur.

Recentiores mutationes iam introductae certe favore populi chri-  
stiani gaudent, ut clare exstitit in Officiis Hebdomadae sanctae, in lingua  
vernacula celebratis.

*II. PROPOSITIONES*

Nonnulli missionarii ex nostris, ut etiam Praefatio in lingua vernacula  
legatur aut cantetur, exoptant.

A. BLONDÉ

Vicarius Capitularis Kasamaensis dioeceseos

D U B I A

Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solum-  
modo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici  
iuris fient, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae  
Sedis ».

AD INSTRUCTIONEM

Ad n. 36, d:

38. Utrum norma de omittendis osculis manus et rerum, quae porri-  
guntur aut recipiuntur, vim habeat cum Episcopus celebrat tam forma  
solemni quam non sollemni?

Resp.: Affirmative.

39. Utrum osculum anuli Episcopi communionem fidelibus distri-  
buentis omittendum sit?

Resp.: Affirmative.

40. Utrum celebrans et ministri, res, veluti paramenta, accipientes,  
osculari debeant?

Resp.: Negative.

Ad n. 57:

41. Dicitur « in Missis sive in cantu sive lectis, quae *cum populo* cele-  
brantur, competens auctoritas... linguam vernaculam admittere potest ». Et in decreto pro quadam natione dicitur « In Missis quae cum fidelium  
concursu celebrantur ».

Cum populo videtur innuere ad assistantiam actuosam participan-  
tium; dum concursus fidelium haberi potest etiam absque actuosa parti-  
cipatione. Estne hic ultimus casus ratio sufficiens ad adhibendam linguam  
vernaculam?

Resp.: Certissime. Immo, a fortiori, cum passiva assistentia etiam  
ex hoc capite pendet quod fideles nihil intelligunt, neque de verbis quae